



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

226. Quid requiratur ad incurrendas pœnas statutas promotis ante legitimam ætatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)



cialia singulorum Ordinum, quale utique illud est apud Dominicanos, quod, ut testatur Pass. n. 438. in qualibet electione electus habere debeat 12. annos à professione, adeoque nullus eligi possit ante annum atatis 28. cum ad professionem requiratur à Trid. annus 16. expletus.

*Questio 224. Que etas requiratur in Monialibus, ut sint Abbatisse, Priorissa, intellige Monasterium gubernantes, seu Conventuales?*

**R**espondeo: quidquid sit de jure antiquo, de quo vide Fagn. in cap. cum in cunctis. num. 113. modò non debere esse minores 40. annis. Trident. sess. 25. cap. 7. ex qua forma loquendi iterum deducitur, debere hos annos 40. esse completos, Garc. loc. cit. num. 71. contra Hieron. à Sorbo in compend. mendicant. V. Abbatisse. præterea debet 8. annis post professionem laudabiliter vixisse. Quòd si tamen talis non reperitur in Monasterio, eligenda saltem esse debet 30. annorum, & 5. annos exegisse post professionem. Trid. ibidem. Hæc autem repertà in suo Monasterio non tenentur ex alio Monasterio eligere quadragenariam. Quòd si tamen nec talis 30. annorum idonea reperitur in proprio Monasterio, nec quadragenaria idonea in alio Monasterio, poterunt ex alio Monasterio habentem 30. annos, & expressè professam eligere. De cetero nulla minoris ætatis poterit eligi, sed debebit postulari à sede Apostolica. Fagn. loc. cit. nu. 117. & 118. Quòd si tamen Monasterium esset recenter erectum, nullumque aliud istius Ordinis in ista provincia, & nulla esset in eo habens prædictas qualitates, poterunt aliquam ex existentibus in dicto Monasterio eligere, quæ ex omnibus melior & idonea. Fagn. loc. cit. num. 119. ex declaratione S. Congregationis.

*Questio 225. An, que hæcenus dicta de requisita ætate ad hoc, ut quis per electionem, aliãve provisionem obtinere possit Prælaturam, aliudve beneficium, ita accipienda sint, ut provisio facta non habenti actu istam ætatem, ipso facto sit nulla?*

**R**espondeo affirmativè. Garc. loc. cit. n. 82. Paris. de resign. benef. l. 4. q. 9. n. 20. Azor. & alii cum communi. Verùmque id est, et si modicum quid, dies unus vel hora desit. Garc. ibidem num. 84. Sanch. de matrim. l. 1. d. 16. num. 40. Lott. l. 2. q. 47. num. 18. cum in his, quæ à jure sunt determinata, & limitata, non liceat arbitrari, & ut Lott. loc. cit. jus commune in hac materia verborum rigorem usque adeo servat, ut dum ætatem exigit in promotò, non contentetur, quòd is valde proximus sit ætati requisitæ; & licet autè primam ordinationem tempora completurus esset ætatem necessariam, citat pro hoc Jo. Andr. in cap. ei, cui, num. 5. ubi, quòd licet hac sententia videatur rigida, dum defectus non est talis, qui impediatur ordinari in primis temporibus, nimis tamen sibi videatur præsumptuosum hoc asserere, cum non Glossatoris, sed conditoris juris sit, huic æquitati providere, ait nihilominus Layman, ad cap. ex ratione. de arat. & qual. num. 1. si Clerico ante ætatem requisitam beneficium collatum sit, Superior collationem irritare potest, nisi malit eam dispensativè tolerare, modò potestate dispensandi supra æta-

tis defectu sit præditus. Porrò hæc ætas computanda non est à die conceptionis, sed Nativitatis. Garc. num. 89. citans Mol. Covar.

*Questio 226. An, & quid requiratur ad hoc, ut quis incurrat penas statutas à Pio I. in const. ejus 7. contra promotos ante legitimam ætatem. idem est de promotis extrà tempora, & in genere de male promotis?*

**R**espondeo: requiritur dolus & contemptus, adeoque eas penas non incurri, nisi probato dolo & contemptu. Lott. lib. 2. q. 47. num. 88. & hinc quantum est ad præsens punctum de ætate rejiceretur objectus, in eo, qui ante legitimam ætatem promotus ex eo solùm, quòd is crediderit matri suæ; si enim admittitur præsumptio scientiæ ætatis alicujus in sanguine junctis, multò magis admitti debet in parentibus. Lott. num. 89. & 90. ex Paris. conf. 25. num. 8. lib. 3. Mandos. ad reg. 18. quest. 8. num. 1.

*Questio 227. Qualiter probetur etas?*

1. **R**espondeo primò: melior & paratior via probandi cujusq; ætatem est liber baptismi; Probatur nam sic veluti ex professione Parentum apud acta publica, juxta l. etiam. ff. de prob. Lott. l. 2. q. 49. num. 32. citans Rebuff. ad consil. regias tom. 2. de regist. baptism. num. 15. Matcard. de prob. conclus. 1147. num. 1. Mandos. ad reg. 18. q. 10. num. 4. &c.

2. Secundò ex libro Patris, in quo descripta sit dies Nativitatis filii, ut consuevit de more scribi; nam & hic liber, ut Salic. in l. si minorem. n. 10. c. de in integ. restit. minor. Lott. loc. cit. nu. 33. cessante omni fraude plenè probat, proceditque id ipsum, etiamsi adesset conjectura, vel præsumptio in contrarium, puta, quia ipse filius professus fuisset, se esse aut minorem aut majorem ætate. Lott. num. 34. Soc. jun. conf. 3. ex num. 3. vol. 2. Alcia. reg. 2. præsump. 14. nu. 5.

3. Tertio, ubi deficiunt hi libri baptismi, & patris, probatur per testes. Lott. num. 35. Hi autem testes excedere debent ætatem illius, de quo agitur, saltem 14. annis. Alias enim etiamsi conjuncti sint, aut vicini, & dicant adeo sibi esse perspectam ætatem personæ, de qua agitur, semper erit incerta eorum depositio; cum factum Nativitatis, à quo ætas sumit initium, non potuerit cadere sub eorum sensum tempore ætatis discretæ. Lott. cit. n. 35. citans Bald. in lib. de tutela. sub n. 2. quem, ut ait, sequuntur Salicet. ubi ante n. 3. Sapia de arat. n. 28. de minor. Felin. in cap. literis. nu. 7. de præsump. Menoch. de præf. præsump. 51. num. 48. & plures alii apud hunc. Dein supposità hæc legitimæ ætatis in testibus, optima probandi per illos ratio esset, dum assererent, se nativitatem & tempus illius observasse, quia essent consanguinei, vel vicini. Lott. num. 36. vel referrent factum notabile contemporaneum, quòd eorum memoriæ verisimiliter hærisset, quale est Nativitas proprii filii, vel fratris. Lott. ibidem. ex Bart. conf. 92. sub n. 5. & Rota in Tridentina Canoniciatùs 3. Martii 1606. in qua etiam dictum, non attendi singularitatem testium, si agatur de probando. Possunt quoque ipsi Parentes esse testes idonei ad probandum ætatem filiorum juxta leg. etiam ff. de probat. Lott. num. 44. quod ipsum etiam procedit de parentibus spiritalibus, qui baptizatum à sacro fonte levârunt. Lott. n. 45. citans